



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & Scripta Martini Lutheri, Anno Domini M. D. XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Vnde & solo æquatum esse ferunt totum illud
Monasterium.

Acta & Scripta Martini Lutheri, Anno
Domini. M. D. XXV.

*Dissidiū in-
ter Luth. &
Carolstadiū.*

FRUPERAT iam in apertas inimicitias dil-
simulata æmulatio inter Lutherum &
Carolstadium: Quorum hic aliquid, il-
le totum esse volebat, vterque vanæ glorię cui-
pidus ex æquo. Præstabat ingenio, faciūdia, sty-
loque Lutherus: Carolstadius rude ingenium
suum, velut cotem duram, multo studio atque
labore sic excoluerat, vt Luthero ipsi semper vi-
sus sit magnus & eruditus Theologus, ante-
quam in quibusdā aduersari cœpisset. Etenim
tantus apud Vuitenbergenses erat, priusquam
aduersaretur, vt vetitas & sacrilegas nuptias e-
ius summo studio ac maxima celebritate pro-
mouerint ac decorauerint. De quibus & pro-
prium confingebant Missam, quam & in lucem
ædere non sunt veriti, Cuius sane introitus sic
habet.

*Missæ pro-
pria de nu-
ptiis Carol-
stadij.*

Dixit Dominus Deus, non est bonum, ho-
minem esse solum: faciamus ei adiutorium, si-
mile sui.

Versus.

Adhærebit homo vxori suæ, & erunt duo
in carne vna.

Oratio vero seu Collecta sic.

Deus qui post tam lōgam & impiam sacer-
dotum

dotum tuorum cæcitatem, .: Beatum Andræam
 Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut
 primus, nulla habita Papistici iuris ratione, vxorem
 ducere ausus fuerit : Da quæsumus, ut omnes
 sacerdotes, recepta sana mente, eius vestigia
 sequentes, eiectis concubinis aut eisdem du-
 ctis, ad legitimum consortium thori conuertantur.
 Per dominum nostrum Iesum & c.

*Proposa de An-
 draea Carolstadi-
 o.*

Prosa item seu Sequentia sic.
 Deus in tua virtute Andræas Carolstadius
 gaudet & lætatur thalamo copulatus.

Piscatio Episcopi ipse primum factus piscator
 est vxorum. *.: Fornicatores seu seruos
 fornicationis.*

Sacerdotes : Pornolatræ diu ad normam
 reduxit matrimonii.

Is legibus ius Romanum tuis Deus victor
 strenuus subiugauit.

Consilium Pauli tui sequens, & iam bonum
 se ostentans coniugem.

Mirantibus inuitisque Papistis, vxorem quæ
 sitam ædibus nuper suis intulit.

Atque magno decore sacerdos inscripsit ti-
 tulos coniugatus Domine.

Illum sacerdotem vere tuum credimus.

Christi filii tui atque fraterculum.

Nos ergo concubinis nostris grauati te Deus
 poscimus,

Ut illius, qui patres nostros sectatus antiquos
 tibi placet:

Nos imitatione gaudeamus in æternum.
 Item secreta sic.

N

Sacrificium nostrum quæsumus Domine benignus suscipias, vt quod tuæ Maiestati in Andree Carolstadii nuptialibus primitiis deuote offerimus, eius efficacia à cunctis scortationis defendamur periculis. Per D.N.

Postremo Complenda sic.

Sint nobis Domine auxilio sumpti Sacramenti mysteria, & sicut Andree Carolstadii cõnubiali celebritate latamur: Ita fac quæsumus, sacerdotum coniugia toto orbe fœliciter auspiciantur, fœlicius succedant, & quã fœlicissime finiantur. Per Dominum nostrum Iesum &c.

Quam vana vero spes & nefaria precatio illorum, & quam infœlix fuerit earum nuptiarum auspicium, ex subsequentiis planius intelligitur. Ferunt illum à vicino quodam Principe carnes ferinas ad nuptiarum celebritatem petiisse, qui mittere statuerit ei carnes asininas pro ceruinis, mactato & excoriato asino molit oris, cuius partes in frusta dissectæ, atque vasi inclusa, pro ceruinis comederentur, donec aures & vngula asini in medio vasis reperirentur.

Cæterum absente in Pathmo conficta Luthero, Carolstadius Vuittenbergæ nitebatur re exequi quæcunque verbo doceret Lutherus. Szuiebat itaque in sanctorum imagines, & in priscum Missæ ritum, vndemagnam nactus famam, ipsi Luthero pene par esse videbatur. Lutherus aut ex Pathmo sua domum reuersus, inuidia tactus, vt famam illius obscuraret, facta eius publice pro concione reprobauit, illumque in conspectu

Inuidia Lutheri in Carolstadium.

etu populi palam redarguit: Eo sane prætex-
 tu, non quod facta secundum se mala essent, sed
 quod non fuissent Principis autoritate attentat:
 Ille, cum esset facundia impar Luthero, coram
 populo confusus, eam iniuriam alta mente repo-
 suit, nec vnquam postea ex animo Luthero fa- *Gesta Caro*
 uir. Cum autem Vuittenbergæ, obstante Lu *stadiæ.*
 thero, non posset opiniones suas vulgo commu-
 nicare, abiit tandem illinc Orlamūdum: Quod
 sane oppidum ad Salam fluuium situm, eiusdē
 erat Principis, cuius & Vuittenberga. Nactus i-
 bi ex fauore populi scribendi libertatem, aper-
 te reprehendit Lutherum, non modo de Missa
 & de Imaginibus: verum etiam de Sacramen-
 to Eucharistiæ. Lutherus id ægre ferens, Domi-
 quidem per Vniuersitatem: In aula vero Prin-
 cipis per Georgium Spalatinum a secretis sa-
 tagebat, vt Vuittenbergam reuocaretur Carol-
 stadius, per iuramentum Vniuersitati præstitū
 vt prædicaret, prælegeret ac disputaret, iuxta
 officiū suū, sicut fecerat prius. Vbi vero ille cū-
 ctaretur, & per literas populi excusaretur, missus
 est ipse Lutherus ad oppida Principis sui ad Sa-
 lā sita vt cōcionando auerteret, à Carolstadianis
 opinionibus eos populos. Cum autem parum
 proficeret, & multi ex plebe quoque in faciem ei
 resisterent, & contra Imagines ex veteri Testa-
 mento scripturas obiicerent: ipse per Iuniorē *Proscriptio*
 Principē, Ioannē Fridericū, qui erat fil⁹ fratris *in eum per*
 Friderici Electoris, effecit tadē, vt cūctis Ducū *Lutherū pro-*
curata.

N ij

*Hic princeps
factus postea
Elector, à Ca-
rolo Cas. vi
Ejus est cap-
tus & est*

*Anno 1547
Reditus eius
in Saxoniam.*

Saxonix oppidis & finibus interdiceretur Ca-
rolstadio. Ille itaque proscriptus, miserime cū
infœlicissima & illegitima vxore sua, inter tur-
bas & seditiones tumultuantium in Franconia
rusticorum vagatus, nunc Rotenburgi ad Tau-
berum fluium latitabat, nunc ad maternos la-
res Carolstadium, Franconix oppidum Mogo-
no adiacens, confugiebat, nusquam tuto confi-
stens. Tandem vero casis vbique seditionis
rusticis, cum pessime audiret ac suspectus habere-
retur infœlix Carolstadius, tanquam autor se-
ditionum, tumultuumque incensor, & rustico-
rū ductor, eo necessitatis & miserix redactus est
vt inimici sui infensissimi Lutheri opem implo-
rare coactus fuerit. Qui sane, aucupandæ hinc
glorix occasionem nactus, vt non solum verbo
sed & facto maxime Euangelicus uideretur,
preces inimici sui exaudiuit, eiusque excusatio-
nem Teuthonicam per Typographos euulga-
uit, cui adiecit ipse præfationem. In qua non so-
lum gloriabatur se suo summo inservire inimi-
co, sicut Christus docuit, verum etiam petebat,
vt illius excusationi acquiescerent, tum Princi-
pes, tum populi: licet ipsemet eum antea ædi-
tis libris de seditione maxime suspectum reddi-
disset. Effecit præterea, vt pateret illi reditus in
Saxoniam: Ea tamen lege, vt is suas contra Lu-
therum opiniones, neque verbo neque scripto,
publice assereret. Ille igitur Vuirtembergam re-
uersus, cum præ pudore conspectus eorū homi-
num, apud quos antea opibus honoribusque &
dignitate

*Miseria Ca-
rolstadii.*

dignitate florisset, ferre non posset: secessit in gloriosius in proximum oppidulum atque in circumiacentes villas: Vbi aliquandiu vitam miserime sustinuit, factus ex Theologiæ Doctore & Archidiacono Vuitenbergensi, miser agricola & rusticus indoctus, qui arare nesciens, per inopiam arare cogebatur, equos habens indociles, quorum vnus hac, alter illac ante aratrum pergebat, aut procedente vno, stabat aut retrocedebat alter, cunctis risui atque etiam commiserationi esset arator vicinis. Quibus & vxor eius merito miserabilis videbatur, vt quæ ex Nobili familia orta ac nobiliter educata, pessimo exemplo & infelicitissimo auspicio nupsisset, contra ius & phas, sacerdoti, homini ignobili & alienigenæ, tot deinde modis infami, proscripito, inopi & abiecto, apud quem ne rustico quidē aut cibario pane faciri posset: Cuius maritum falsum falso in nuptiis beatum dixerant Vuitenbergenses, & præ omnibus grauissime accusauerat eum seditionis Lutherus non solum priuatim per literas: verum etiam publice per duos bene prolixos libros. In quorum priore sic ait. Etiā si iam verū esset, & me credere oporteret, Doctore Carolstadium non intendere neque cades neque seditiones: attamen dicere me oportet, eum habere spiritum seditiosum atque audum cædis, sicut Allstetensis: quadiu in violenta imaginum demolitione perseverat, temerariumque vulgus ad se allicit. Et post pauca. At dixeris. Nō erit sic obstinatus, sinet se doceri, & ab hu-

Miseria eius vxoris.

Luth. contra caelestes prophetas lib. 1.

Carolstadius saepe monitus audire noluit.

iusmodi captis desister. Quis? Doctor Carolus
 dius? Verba quidem pulchre scit dicere, & scri-
 ptis euulgare, quod velit doceri, ac melioribus
 acquiescere. Si autem serio intendit, ego autem
 sum. Quando audiuit aut cessit vlli? Quoties
 monuit eum Philippus Vuitenberge, ne sic tu-
 multuarerur cum Moyse, cum imaginibus, cum
 Missa & cum Confessione? Cumque ego redi-
 rem, & contra eius Iconomachinam & Missam
 prædicarem, quare non desistit, nec auscultauit
 Item? Quando Doctor Iustus Ionas, & Domi-
 nus Theodericus de Billa, inter nos tractarent,
 quam pulchre cedebat, seque moneri sinebat
 vt me etiam ad extremum citaret iudicium se-
 per Missa tumultuantium. & infra. Ista quoque
 causa non leuis est, quod cum cælestibus con-
 uersatur Prophetis, è quibus Alstetensis spiritus
 prouenit, vt constat: ab his discit, ad hos conti-
 gitur: hi occulte serpunt in terra vagantes, &
 congregantur in vnum ad Salam, vbi nidificare
 intendunt. Impotens Diabolus nusquam vult
 proficisci, nisi ad loca nostra, vbi nos prius per
 Euangelium spacium & securitatem parauim-
 us, & nostrum solummodo nidum vult defe-
 dare ac perdere, sicut vpupã cum merula ludit
 &c. Et in Epistola Theunonica ad Argenti-
 nenses, Quod me (inquit) criminatur D. Carol-
 stadius, quod expulerim eum, ferre possẽ, rem
 ita habere: vellem & bene, Deo volẽte, excusare.
 Gaudeo autem eum abiisse ex terra nostra: Op-
 to quoque, vt apud vos non esset, & que consu-
 lendum

*Id est aduince
 ri secta*

*Cauendum
 à spiritibus
 Carolstadii*

lendum fuisset, vt ab eiusmodi querela absti-
nuisset. Vereor enim ne mea excusatio eum per
quam duriter sit accusatura, Caueat à fallaci il-
lo spiritu, quisquis potest, hoc suadeo: hic nihil
sub est boni. Mihi ipsi sane propemodum per-
suasisset Ihene, propter quandam scripturam, vt
eius spiritum non commiserem cum spiritu Al-
sterensi illo seditioso ac cædium auido. At, vbi
venirem, Orlamundam, ad Christianos eius,
Principū iussu: bene comperi, quid seminis ipse
ibi seminauerit, vt gauderem me non lapidibus
& stercorebus eiectum fuisse, Vbi nonnulli ex
cistalem mihi dabant benedictionem, Absce-
de in Mille Diabolorum nomine, vt collum
frangas priusquam oppidum exieris, &c.

Turbulentissima vero fax belli seditionisque
fuit Thomas Mūcerus presbyter, qui maiori vā
sania quam Carolstadius, Lutheri verba in op^o
deducere parabat. Quippe non solum imagines
sanctorū, sed etiam ipsa Tempia & Monasteria
diruere, Sacramenta penitus abolere, Episcopos
presbiteros & Monachos occidere atque et-
iam Principibus omnem gubernandi potesta-
tem eripere, conabatur. Homo sane in quietis-
simum iuxta & audacissimus, qui nullo de
fatigatus labore, nullo absterritus periculo,
longe lateque discurrendo seminabat discor-
diarum zizania: populum vndique concitans
primo in Clerum, deinde & in Principes.
Aperuit primum ipsi Luthero sua Consilia
Vuitenbergæ, quæ cum ille non probaret

*Furor &
immanitas
Tho. Mū-
ceri.*

*In th. in ep
stola ad Du-
ces Saxonie.*

*Munice seu
eius opidis eie-
ctus fuit.*

(vt affirmabat) alio conuersus, omnia tentauit donec simpliciores Turingiæ populos in omnia pettraxit calamitatem. Antea tamen longe per multas discurrens prouincias, plebem concitauit, vbicunque ad concionandam fuisset admissus. In plarisque autem locis, mox vt notabatur eius intentio pessima, eiectus fuit antequam occulta seditioſe machinationis scintilla in aperta prorumperet incendium. Sic eiectus fuit ex Praga Bohemię, sic ex Gutterbach oppido Marchiæ, sic ex Zuiccauia oppido Electoris Saxonie, sic ex Hallis in Alpibus oppido Comitatus Tyroli, sic ex Alstet, vbi ficta fuerat Lutheri Patmos. Nam cum ibi pastorale sibi usurpasset officium, Lutherus vehementer incusabat eius conatus, per Epistolam Teuthonicã ad duos fratres Saxonie Duces, atque effecit, tandem, vt inde pelleretur. Pulsus autem peruenit Mulhusen, oppidum Imperiale Turingię, atque ibi & in circumiacentibus pagis & castellis, tam ciues quam rusticos ad nefandissimas quasque impietates concionando Pertraxit: Nempe, vt abolerent omnem cultum diuinum, eiicerent Clericos & Monachos, spoliarent templa & Monasteria: diffringerent Imagines. Ciboria & Baptisteria: conculcarent diuina Sacramenta, aliaque id genus multa committerent dictu nefanda & piis auribus abominabilia. Nec iise facinoribus & sacrilegiis contenti, processerunt ultra ad opprimendas Potestates seculares, ad rapienda bona aliena: ad subiugandos sibi Comites a Stolberg,

*Gesta Munice
in Mulhusen*

Stolberg, à Suartzeburg, à Honsteyn, à Mansfe
 lt & c. ad opprimendos Nobiles, ad diruendas
 arces & c. Operæ precium sane fuerit ipsiusmet
 impulsoris apponere tonantia ac sesqui peda-
 lia verba. Sic ergo scripsit Teuthonice
 ex Mulhusē ad rusticos Tuiſigē. Purus timor
 Dei in primis. Chari fratres, quam diu dormitis
 Quam diu voluntati Dei non astipulamini, eo
 quod vobis videatur deseruisse vos? Ah quoties
 vobis dixi, quomodo esse oporteat. Deus nequit
 se diutius manifestare, stare vos oportet. Et post
 pauca. Cauete igitur, ne sitis meticulosi, negli-
 gentes: Nolite adulari diutius peruersis fatuis,
 impiis Nebulonibus: Incipite & bellate bellū
 Domini, tēpus est valde: Instruite omnes fratres
 vestros, ne diuinū irrideant testimoniū, alioqui
 omnes peribitis. Tota Germania, Gallia, & Ita-
 lia in motu est: Magister incepturus est ludum,
 Nebulones perire oportet. Fuldæ in hebdoma-
 da Paschali Quatuor Monachorum Collegia
 deuastata sunt, Rustici in Klegau, Hegau, &
 Nigra sylua sunt in armis, Trecenta Milia, & tu-
 multus fit indies maior ac maior. Id vnum ti-
 meo, ne stulti homines consentiant in falsam a-
 liquam concordiam & infra. Supra modum sū-
 me summe nēssarium est, Pergite Pergite. Noli-
 te misereri, si bona verba vobis Esau proponat,
 Genesis 33. Nolite respicere calamitatem im-
 piorum. Ita vobis supplicabunt benigne, fle-
 bunt, obsecrabunt, sicut pueri: Nolite misere-
 ri, Quemadmodum Deus per Moysen Deut.

*Tonitrua &
 sesquipedalia
 verba M. Lutheri*

*Mendacia
 eius.*

*Crudelitas
 animi.*

7. mandauit, atque id ipsum manifestauit & nobis. Sollicitate in Pagis & oppidis, præsertim Metallarios, aliosque bonos compotores pariter qui ad ista valebunt. Non oportet nos diutius dormire, &c. Imperiosissime præterea & iniuriosissime scripsit quibusdam Comitibus. de Mâsfelt, seque iactitabat seruum Dei cum gladio Gedeonis contra impios. Fiebant ista Quarta hebdomada Paschæ, quo tempore diem sibi ultimum clausit Dux Saxonie Fridericus Elector. Cæterum frater eius Dux Ioannes, ad tanta facinora velut dissimulans aut desperans, cunctabatur. Patruelis autem eius, Dux Georgius, quam primum de tantis malis certior factus est, mox facinorosis turbis obuiam iturus, conscripsit exercitum, Equites & Pedites, ac tormentorum bellicorum vim ingentem. Vocauit insuper in auxilium quosdam Principes, Generum suum, Philippum Hassiæ Lantgrauium, Ducem Henricum Brunswicensem, atque etiam Duos Electores, Moguntinum & Brandeburgensem, fratres Germanos. His omnibus ultimum imminere exitium, nisi coniunctis viribus, festinanter seditiosas turbas aggredierentur. Nam & eorum rustici in rebellionem & motu erant.

Venerat Muncerus ex Mulhusen in Franckenhusen, ubi collecti erant seditiosi, quos adeo iactanter confortabat in scelere, ut diceretur, se omnes Bombardarum globos excepturum esse sine damno in manica sua. Verum longe aliter accidit. Principes enim quam pri-

*Apparatus
belli contra
rusticos.*

*Iactantia
Munceri.*

mum venerunt in conspectum seditiosorum, ita
 tertuerunt eos, vt mox literas deprecatorias ab
 eis missas acceperint. In hæc verba. Nos con-
 fitemur Iesum Christum. Non sumus hic, vt no-
 ceamus cuiquam, sed propter diuinam iustitiã
 conseruandam. Neque sumus hic, ad effunden-
 dum sanguinem. Si vos quoque vultis id ipsum,
 nihil mali faciemus vobis. Secundum hæc sciat
 vnusquisque quid agat. Quibus ita responsum
 est à Principibus. Cum vos ex deliberata iniqui-
 tate, ac seductoria doctrina falsi vestri Euange-
 lii, multipliciter contra Redemptorem nostrum
 Iesum Christum, cædibus, incendiis, variisque
 in Deum impietatibus, præsertim in venerabile
 Sacramentum, aliisque blasphemis vos conta-
 minetis: Ideo nos, tanquam ii, quibus à Deo
 gladius commissus est, hic congregati sumus, ad
 puniendum vos, tanquam blasphematores Dei.
 Nihilominus autem, cum arbitremur, plerum-
 que miseros homines male ad hæc seductos esse
 ex Christiana charitate decreuimus, si tradide-
 ritis nobis falsum prophetam, Thomam Munc-
 erum, simul cum complicitibus suis, viuum fo-
 ras, vosque dedideritis & clementiæ & indigna-
 tioni nostræ, nos in hunc modum vos recipie-
 mus, & ita geremus nos etgã vos, vt iuxta quali-
 tatem causæ, clementiam nostram intellecturi
 sitis. De his vestram, petimus responsum
 festinanter.

Rustici vero Muncerum tradere nolentes
 cum præoccupassent collem extra oppidum, tor-

*Littere rusti-
 corum ad Prin-
 cipes & illo-
 rum responsum.*

*Cædes rustico-
 rum in Franc-
 Kenhusen.*

mentoribus inde pulsus, ad oppidum con-
fugiebant. Principes autem insequuti ac simul ir-
rumpentes, oppidum ceperunt, trucidatis supra
sex millia rusticis, & alius seditiosis in eo praelio
Infelix autem Muncerus, post praelium in lecto
simulata ægritudine repertus, venit in manus
Principum, missusque in propinquam eamque
munitissimam arcem, Helderung, traditus est
in custodiam Domino Ernesto, Comiti de Mäs-
felt, viro pio & Catholico, cui miser minacissi-
me paulo ante scripserat intra triduum. Princi-
pes autem belli reliquias persequuturi, duxerunt
copias ad Mulhusen: quibus post praelium &
Dux Saxonie Ioannes iam Elector, fratre mor-
tuo se coniunxit. Ciues autem, videntes se viri-
bus longe impares, miserunt Oratores, qui im-
petrata venia, urbem dederent. Principes vero
non statim veniam aut impunitatem polliciti
sunt, sed voluerunt ciues habere suæ clementie
& indignationi obnoxios, iuxta qualitatem cau-
sæ singulorum. Quod audiens Munceri socius
Monachus Apostata, cui nomen erat Fistulator
noctu clam cum sociis 400. au fugit. Verum cir-
ca Isennacum comprehensus, reductus est unde
fugerat. Muncerus tamen longe melius clau-
sit diem suum, quam Fistulator. Hic enim Apo-
statacè obduratus, sine confessione & contritio-
ne, tanquam bestia mortem in gladio suscepit.
Ille vero magna fertur fuisse ductus pœnitentiâ
summa deuotione & errores renouauisse, & ve-
nerabile Sacramentum præuia confessione ritu
Catho-

*Exitus Mun-
ceri & Fistu-
latoris.*

Catholico, sub vna specie accepisse, priusquam
ictum gladii subiret. Hic est Munceri exitus,
& hæc præmia seditiosorum in Turingia. Luthe-
rus vbi ista Vuittembergæ accepisset, mox ædi-
dit libellum Teuthonicum, cum isto titulo. Ter-
ribile factum & iudicium Dei in Thomam Mū-
cerum, in quo Deus manifeste illius spiritum
mendacii arguit ac damnat. Et in præfatione
sic ait. Hic vides, quomodo iste cædium spiritus
se se iactat, Deum loqui & agere per ipsum, eius
que esse voluntatem: & agit, perinde ac si omnia
cum ipso sint victoria. Et antequam circumspi-
cit, iacet cum aliquot milibus in luto. At si Deus
per eum loquutus fuisset, id non contigisset.
Deus enim non mentitur, sed firmiter tenet ver-
bum suum. Cum igitur Thomas Muncerus fal-
lat: constat, eum sub Dei nomine per Diabolū,
& locutum esse, & egisse. Hæc quidem vera est
sententia, sed non minus in Lutherum, quam in
Muncerum competit. Nam & Lutherus multa
falso prophetauit, ac seipsum multosque alios fe-
ellit. Et ne longe diuertamur, in hoc ipso nego-
cio tumultuum & seditionum, persæpe inuen-
tus est falsus vates & Pseudopropheta. Nam in
ea epistola Teuthonica, quam inscripsit, fidelē
ad monitionem ad omnes Christianos, pro sedi-
tione & rebellionē præcauenda, sic ait. Quan-
quam non inuitē audio, Ecclesiasticos in eo sta-
re timore & sollicitudine: Videor mihi tamen
certus esse, nec vllus mihi metus est, de vllō tu-
multu aut seditione futura, ea præsertim, quæ

*Verba Luthe-
ri in Mūcerio
ian interfectio*

*Lutherus sæ-
pe falsus pro-
pheta fuit.*

penetret ac rotam turbam inuadat. Et infra.
 Inspice (inquit) facta mea. Nonne ego Papa,
 Episcopis, presbyteris & Monachis, solo ore ab-
 que omni ictu gladii, plus ademi, quam illi ha-
 ctenus omnes Imperatores, Regesque & prin-
 cipes, cum tota potentia sua ademerunt? Qua-
 re? Quia Daniel 8. cap. dicit, Hunc regem absque
 manibus conterendum esse. Et Paulus. Iste dicitur
 ructur ore Christi. Ego vtique certus sum, verba
 mea non esse mea, sed verba Christi. Oportet
 igitur & os meum illius esse, cuius verba loqui-
 tur. Idcirco non opus est, petere corporalem sedi-
 tionem, Christus ipse iam quandam incepit or-
 re suo, quae Papae nimis grauis erit. Vide igitur,
 vt exerceas, & promoueas sanctum Euangelium
 doce, loquere, scribe, & praedica, quomodo le-
 ges humanae nihil sunt. Prohibe & dissuade, ne
 quis fiat sacerdos, Monachus, aut Monialis, &
 quisquis in eo statu sit, vt exeat: non praebeant
 plus pecunias pro Bullis, candelis, campanis,
 tabulis, templis: Sed dic, vitam Christianam con-
 sistere in fide & charitate, & sine nos ista duos
 adhuc annos agitare: tunc videbis, ubi Papa
 episcopus, Cardinales, presbyter, Monachus,
 Monialis, campana, turris, Missa, Vigiliae, cua-
 culla, cappa, rasura, regula, statuta, & totum exa-
 men ac congeries Papalis regiminis maneat,
 Tanquam fumus euanesceat. Haec ibi. Sed
 falsus est vates iste. Iam pridem enim abiit
 biennium, posteaquam, ista scripsit, & per

*Intentio ac
 dira spes Lut.
 contra Ec-
 cles.*

gratiam ac misericordiam Dei, manent illa adhuc omnia, vt ex proprio Lutheri iudicio intelligamus, os eius non esse (vt iactat) os Christi, qui vera loquitur & veritas ipsa est: sed potius os Diaboli, qui mendax est & pater eius, Ioan. viii. Quod autem de corporali quoque seditione mentitus sit, ipsiusmet verba declarent quibus in funere sui Principis Friderici Electoris vsus fuit. Sic enim ait. Communis querela omnium nostrum est, quod bonū Principem perdidimus. Omnium vero pessimum est, quod caput hoc decipit, nunc præsertim his grauibus admirandisque temporibus, quando tota Germania in seditione est: vt timendum sit, nisi Deus præueniat, totam Germaniam deuastatū iri &c. Sic & in primo libello de seditione rusticorum Sueuiæ, ait per calumniam ad Principes Primum inquit, nemini super terram possumus acceptam referre hanc calamitatem & seditionem, quàm vobis Principibus & dominis: præsertim vobis cæcis Episcopis, stolidisque presbyteris, & Monachis. Et quemadmodum falso prophetauit sibi victoriam: Muncerus ira false quoque prophetauit rusticis victoriā Principib. cædē, Episcopis & Clericis exterminium Lutherus. Ait igitur in iam dicto libello, quē falso inscripsi Exortationem ad pacem, super XII Articulis rusticorum Sueuiæ: cum re vera esset potius dehortatio, à pace, ad bellum, & confortatio seditiosorum in scelerato proposito. Gladius (inquit) vobis Principibus super

*Querela Luth.
de seditione.*

*Non minus
mendax pro
pheta fuit
Luth quam
Muncerus.*

Collum iam imminet, adhuc tamen putatis tam firmiter sedere vos in sella, ut nemo vos excutere possit. Hęc securitas & obstinata p̄sumptio franget vobis collum, hoc videbitis. Ego vobis antea p̄sepe p̄dixi, ut caueretis ab illo dicto Psal, 104. Effundit contemptum super Principes: Vos ad hoc luctamini, & vultis super caput percuti, contra quod nulla iuuat admonitio nec vlla exhortatio. Cum sitis igitur causa huius irę Dei, in vos p̄cul dubio exundabit, si nondū vos cū tempore emendaueritis. Signa in celo, & prodigia in terra destinantur vobis, boni domini, nihil boni vobis portendunt, nullum quoque bonum vobis continget & paulo post. Hoc enim sciatis, boni domini, Deus ita procedat, ut non possint, nec velint, nec debeant, vestram Tyrānidem diutius ferre. Oportet vos aliter fieri, & verbo Dei cedere. Si non feceritis amico volūtarioque modo, facere oportebit vos per violentiam perniciosamque deordinationem. Si non fecerint rustici isti, oportebit alios facere. & si omnes occideretis, adhuc tamen in occisi sunt, Deus alios exuscitabit. Vult enim vos percutere, & percutiet: Non sunt rustici, boni domini, qui se vobis opponunt, Deus ipse est qui se opponit contra vos, ad visitandam vestram Tyrānidem, & c. Hęc neque minora, neque vaniora sunt, quā quę iactauerat Muncerus. De signis cęli prodigiisque terre cōtra Principes, nihil dixit Muncerus, nec vsquā dixit. Non rustici sunt, sed Deus ipse est, qui se opponit

*Mina Lut.
à signis &
prodigiis.*

opponit contra vos, ad visitandam vestram Tyrannidem. Quis ergo credat Luthero, iactanti se certum esse, quod verba sua sint verba Christi, & os suum os Christi? Sed adhuc multo impudentius egit paulo post, quando rusticos ubi que succumbere audiuit. Protinus enim contrarium ædedit in eos libellum, cui titulum hunc fecit Teuthonice. Contra atrocitates, tumultuantes ac homicidas rusticos, qui sub prætextu sancti Euangelij, fallaciter contra omnes superiores resistunt & insurgunt. Et in ipso libello inter alia multa sic ait. Debet igitur hic percutere, occidere, perfodere, seu clam seu palam, quisquis potest, & cogitare, nihil esse venenosius, nocentius magis, & Diabolicum homine seditioso. Perinde atque si rabidus canis interficiendus sit. Si non feris eum, ferit te & totam provinciam tecum. Et infra. Arbitror (inquit) nullum esse amplius in inferno Diabolum, sed omnes prorsus in rusticos ascendisse. Nam infanta ista omnem & modum & mensuram excedit. Et rursus. Rustici non amplius iam pro Euangelio pugnant, sed palam facti sunt perfidi, periuri, rebelles, seditiosi, latrones, raptores, blasphematores. Item. Tam admiranda nunc sunt tempora, ut Princeps aliquis sanguinis effusione cælum promereri queat, melius quam alij orationibus &c. Cui sane libello respondit protinus Ioannes Cochlaus, omnia in Lutherum ipsam retorquens ex propriis eius scriptis, quæcunque rusticis illic imputavit, qui cum

*Cruelitas
Lutheri in mō
serè seductos
& occisos rō-
sticos.*

sta ex libris eius didicerant, quæcunq; iniuri
attentabant. Cum autem propter eam aspe
ritatem & libellum vsque adeo sauum & cru
tum, male à plarisque audiret Lutherus: terti
quoque de rusticis ædidit libellum. In quo mo
obtendit minas, vt & ij pro seditiosis haberi de
beant, quicunque dixerint, priorem suum libe
lum nimis esse durum, aut quibus villa sit, ergo
occisos rusticos commiseratio, quibus Deus
ipse nolit misereri. Iubebat igitur cauere vni
quenq;, ne quid musitaret contra, alioqui mor
in corde suo seditiosus haberetur, & capite ple
ctendus esset. Pugno (inquit) eiusmodi, blatero
nibus respondendū est, vt cruor è naribus pro
rumpat. Nihil hic neque audire neque scire vo
lo de misericordia, sed considerare, quid velit
verbum Dei. Idcirco oportet libellum meum
& esse & manere iustum, etiam si totus Mundus
in eo scandalizaretur. Quid mea refert, si tibi
displiceat, quando placet Deo? Ipse enim vult
iram & non misericordiam. Quid tu igitur agis
cum misericordia? Nonne Saul peccauit miseri
cordia erga Amalec, quod non exequebatur i
ram Dei, sicut ei mandatum fuerat? Et in fine.
Velim (inquit) in pace dimitti: in me nemo lu
crabitur, & rectū permanere oportet quicquid
ego & doceo & scribo, etiam si totus mundus ob
id dirūperetur. Quod si omnino mirabiles esse
volunt, ego quoq; mirabilis ero, & video, vter
tandem recte sentiat. Mira profecto & misera
bilis erat tunc c Germaniæ superioris facies, in
audita

audita & irrecuperabilis calamitas, terror & tremor maximus, quando vno eodemq; tempore omnium fere Principum (qui Lutherico ferme to minus caute ac nimis leniter & negligenter obtulerant) subditi, vel apertā intendebant vim vel occultam in corde rebellionem fouebant.

Multa igitur Milia rusticorū insurrexerunt in Sueuia, multa in Alsatia, multa in Franconia, multa in ripa Rheni, multa in Turingia, profugato vno cuneo, mox obiciebatur alius. Ante-

quā vero iustos conscriberēt exercitus Principes, à tumultuātibus turbis grauissima passim & vndiq; illata fuerūt dāna, in diripiēdis diruēdis.

*Quanta turba
batio tunc in
Germania
fuit.*

q; Monasteriis, tēplisq; & arcib⁹. Et itra vnū mēsem Maiū, maiores clades cedēsq; & vastitates passa est superior Germania, quā Decēnali bello tū à Gallis & Hispanis passa sit Italia. Scribit enim D. Conradus Vuimpina: vir grauius & eruditus, homo senex & Francus, in vna Fran-

*Seu Frā-
cia Orientali*

conia. deuastata esse Monasteria & Arces 293. Et vnus Lotharingæ Dux Antonius, in vna Alsatia supra 26. Milia rusticorum occidit. Quot autem occidit Liga Sueuica multis in Sueuia & Franconia prāliis & conflictibus? Quot Elector Palatinus? Quot Marchio Casymirus? Quot alij? Nam longe aliud erat hic pugnae genus, quam in iustis bellis esse solet, vbi Rex contra regem, aut Princeps contra Principem instructis ordinibus & aciebus pugnare solet. Hic enim rustica turba rei militaris ignara, inermis & inordinata prouens, aut in globum

O ij

fese agglomerans metu, non tam pugnam quam
 eadem instructis Principum exercitibus ob-
 lit. Vnde factum est, ut quam plurimi rustico-
 rum cæsi fuerint: ex parte autem Principum pau-
 cissimi. Quia neque dimicare, neque stare in
 prælio sciebant rustici.

*Seditiones in
 ciuitatibus.*

Et non solum in rure, verum etiam in ciui-
 tatibus multa eo tempore oriebantur seditio-
 nes, ybi plebs in Clerum atque etiam in Sena-
 tum confurrexit: sed ita, ut non cædibus & ar-
 mis ac vastationibus deserviret, sicut deservie-
 rant rustici, sed impiis ac fæuis legibus, in gra-
 tiam novi Evangelij, suam exerceret temeritatem
 & insaniam. Verbi gratia. Francofordiæ ad Mo-
 num seu Mogonum, plebs, quæ duo præcipue
 seditionum ductores, quorum vnus erat sac-
 tor, alter furor, ad seditionem excitabant, in fe-
 riis Paschalibus magno impetu insurrexit, vnde
 que ad arma concurrens, quando audivit, non
 longe abesse rusticorum contra Archiepiscopa-
 tum Moguntinum insurgentium cuneos, ut eo
 maiorem incuteret metum & terrorem tunc Cle-
 ro, tum Senatui. Primus itaque seditionum
 concursus & impetus fuit in Monasterium
 Prædicatorum, citra tamen direptionem ac de-
 vastationem vllam: vinum duntaxat ad biben-
 dum imperiose postularum est. Duo Decani,
 Fridericus Martorff ad S. Bartholomæum, &
 Ioannes Cochleus ad B. Virginem, haud igno-
 rantes, quam insensam in se præcipue haberent
 plebem: hic quidem quod in Lutherum quædam
 scri-

Fuga elapse

Dv. Decani

Fræcofordiæ.

scripserat: ille vero, quod in Parochiali Ecclesia
 novos Lutheranorum ritus non admitteret: au-
 fugerunt priusquam clauderentur portæ. Plebs
 vbi in apertam seditionem transit, mox clausis
 portis, nutu suo agebat omnia: Senatus nõ mi-
 nus metuebat vim & bonorum direptionem,
 quam Clerus. In maximo autem periculo fuif-
 sent duo Decani, si remansissent. Facto igitur in
 domos eorum impetu, vbi eos non reppererunt
 seditionosi, in solum vinũ ira transit, & Cochleus
 quidem minus damni fuit illatum, eo quod ma-
 ter eius decrepita, domi cum sua ex filia nepte
 sola derelicta, commiserationẽ promeruit anili
 eiulatu. Deinde regimen sibi plebs arrogans,
 potestate Senatũ abrogata, nouam constituit
 Curiam, in Edibus & Curia S. Antonij. In qua
 XXIIII. ex plebe delecti, summam potesta-
 tem ac ius omne totius ciuitatis sibi usurpau-
 erunt. Conscripserunt itaque XLVII. Artic-
 los, quos pro legibus haberi volebant, nec à
 minis & terroribus desisterunt, donec & à Cle-
 ro & à Senatu consensum vniuersalem extor-
 querent. Sed & absentibus Decanis, minaci-
 ter scripserant, ni consentirent & redirent in-
 tra proximum mensem, sua amissuri essent sa-
 cerdotia, aliis qui consentirent conferenda. Qui-
 bus sane minis, ab altero, cui frater Germanus
 in Senatu erat, & quidem vir optimus, exortus
 est tandem cõsensu. Cochleus vero rescripsit,
 se consentire non posse absque superiorũ suo-
 rum consilio & voluntate. Petebat igitur lon-

*Minæ seditionis
 forum in illos
 Decanos.*

giore inducias: non sane quod consentire
quàm intenderet, sed vt irata plebis animo
vi & spoliatione suspenderet, donec Deus alio
prouideret. Quod & paulo post factum est. N
casus ac profligatis in Franconia rusticis, pleb
Francofordiensis, per duos Principes Electo
res, Archiepiscopum Treuerensem & Comite
Palatinum Rheni, redacta est in priorem statu
reuocatis & cassatis cunctis temeritatibus, qua
vane attentauerat: discissis item literis & sigillis
quas à Clericis iniue per minas extorserat. E
eo tamen die Cochleus Francofordiæ nunqu
resedit amplius, sed exulans aliquandiu Colo
niæ, post annum aliud, beneficio Pape, sacerdo
tium obtinuit Moguntia ad S. Victorē, vbi re
sedit pacificè, donec mortuo Emsero, in locum
eius euocatus fuit in Misniam, à Pio & Catho
lico Principe, Saxonie Duce Georgio. Seditio
si autem ex plebe Francofordiensi, vt suo ex
plo alias quoque plebes commouerent, defici
ptos suos articulos transmiserunt, non solum
ad vicinam Moguntia plebem, verum etiam ad
longius distantem Colonia populū: pium
alioqui & religiosum: Vbi & per Typogra
phos in multa exemplaria, vt disseminarentur
laris, multiplicati sunt egregij illi articuli. In
ter quos sane isti quoque habebantur velut
præcipui: Nempe, vt de cætero potestas eligen
di & instituendi Pastores & Plebanos, esset ap
ud Senatū ac plebem, qui purum verbum
Dei & Euangelium sine humanis additio
nibus

*Cōpressa sedi
tio plebis Frā
cofordiæ.*

*Articuli 47.
plebis Frāco
fordiensis.*

nibus docerent. Item, Vt omnes Clerici cuncta portent onera ciuilia, in angariis, vigiliis, custodiis, vestigalibus & c. Item. Vt nulli Monachi amplius permittantur mendicare, prædicare, aut confessiones audire. Item, Vt de cætero, neque Monachus neque Morialis vlla, in eorū Monasteria ibi admittatur aut recipiatur. Qui vero intus essent, exire possent quancumque vellent. Item. Vt omnes census, de quibus non extant certe literæ & sigilla, aboleantur, & possessorio nomine nemo amplius obligatus sit. Item. Vt Ecclesiastica beneficia posthac, nõ externis aut Curtisanis, sed solis ciuium filiis conferantur: & quæ ex iis necessaria nõ sunt, vt census & decimæ eorum tradantur in communem cistam, pro sustentatione pauperulorū ciuiliū, ne quis mendicet. Item. Vt omnes donationes ex testamentis, & alia Eleemosyna, in communem cistam conferantur: abolitæ cunctis Anniverfariis, Fraternitatibus, & Requies mortuorum in Ecclesiis & c. Inusmodi ergo articuli, quos à Vurtembergensibus didicerat seditiosi, mox & Moguntia in Clerū concitauerunt plebem, quæ in die S. Marci, peracta solenni processione, simili tumultu portas vrbis clausit, & Clero extrema quæque comminabatur, & ex carceribus tres vi eripiebat sacerdotes Lutheranos. Cūq; toto triduo clausis portis tumultuaretur, ac stans in armis plebs tonitruis Bōbardarum Clerum territaret, atq; minaces iniret tractatus cum Canonicis Maioris Ecclesie:

O iij

*Seditio plebis
Moguntia.*

tandem illorum Decanus, Dominus Laurentius Truchses, pacem iniquissimis conditionibus à plebe præscriptam, totius nomine Cle acceptavit. At paulo post, cæsis rusticis, illæ quoque literæ & pollicitationes cassatæ sunt & reuocatæ, capitibus seditioforum ciectis ac perpetuo proscriptis. Nam & rustici Rincaui in proximo rure tunc tumultuabantur, & opulentissimum ibi Monasterium Erbacense, plurimis vexabant deprædationibus. In quo sane perquam grâde ac memorabile habetur vas, quod continere potest vini plaustra 84. Illud ergo tunc plenum rustici aggressi, sic ebiberunt, ut tantum triginta in eo relinquerent plaustra, à quibus deterruit eos superueniens à Liga Sueuica Capitaneus, Frobenus ab Hutten, qui & grauibus multis eam seditionem, tum in ciuitate tum in rure, ultus est. Cæterum vas illud hodie vacuum manet, non sine graui Monasterij damno. Nec multo post Colonia quoque in feriis Pentecostes insurrexerunt artifices, ut tam Senatum quàm Clerum, ad conditiones pacis iniquas terroribus & minis compellerent. Erat itaque in armis circiter X IIII. dies. Archiepiscopus Coloniensis, Princeps Elector, per Cõfiliarios suos eum tumultum sedauit & composuit, sed non sine graui totius Cleri dispendio, cui multæ immunitates & libertates in sex annos fuerunt per eam pacem ademptæ. Cæterum ex ductoribus seditioforum paulo post à Senatu comprehensi tres, plexi capite, publicè cæteris

*Maximum
vas vini in
Rincauia.*

*Seditio plebis
Colonia ex
orta.*

cæteris in exemplum pœnas dederunt. Nec vnquam potuerunt vllis practicis efficere Lutherani, vt eis liceret ibi publice cõcionari. In plærisque præterea ciuitatibus imperij, ne Senatus à plebe cõsimili audacia opprimeretur, magnis impensis oportuit à Senatu conduci milites in sui præsidium, ad reprimendos motus noui Euangelij in plebe. Exulans tunc Cochlaus, qui primo Francofordiam, deinde Moguntia, propter seditiones reliquerat, Colonia hospes erat. Ad quem & D. Ioannes Eckius venit, dum in Angliam tenderet, ei que de stragibus rusticorum multas nouitates impertitus est, quas ille ibi cum reliquis quibusdam libellis suis ædedit, qui ad rem pro temporis qualitate facere videntur. *Ædedit autem Quatuor libros, De Petro & Roma contra Velenum, Breues ite confutationes, contra Quingentos articulos Lutheri ex 36. sermonibus eius excerptos. Commentarium quoque breuem in libellum Lutheri, quo infœlices Agricolas gladio infernoq; deuouit ac tradidit is ipse, à quo maxime seducti fuerant. Et Catalogum seditionum, per diuersas Germaniæ prouincias exortarum: que terram sanguine miserorum replerant. Quâ nis vero Lutherus per scripta sua vere esset omnium eiusmodi malorum miseriarumque & calamitatum causa, aut saltem origo & occasio, vñ que adeo tamen non condidit, nec vllum cõpassionis indicium, ne ad occultum quidẽ, exhibuit, vt Erynni quadam percitus, de commu-*

*Nuptia
Luth.*

*Epithalamii
Emseri in nu-
ptias Lutheri*

nis patriæ malis exultare, & de occisis rusticis triumphare, atque de Principis sui morte lætari videretur. Nam paulo post, ubi ille mortuus, & rustici occisi essent, ac tota Germania in luctu confusioneque & mœrore misere conficeretur: ipse omnia ista dissimulans, Monialem duxit uxorem, ac lætas celebrauit publice nuptias, incestu & votifragio sacrilegas, ac tot milibus occisorum funestatas. In quas sane nuptias satis elegans (vt amœni erat vir ingenij) & didit carmen Hieronymus Emserus. Quod & Quatuor vocum concentu decorauit. Inter cætera sane, personam agens Lutheranorum sic ait.

His magistris licet nobis omne nefas, licet probis, omnibus obstrepere. Cum Iubilo.

Conculcare iura, leges, infamare licet Reges, Papamq; cum Cesare. Cum Iubilo.

Sed & ipsos irridemus, Christi sanctos, & delemus eorum imagines. Cum Iubilo.

At Priapum, Lætasacenum, Veneramur & Sylenum, Bacchumq; cum Venere. Cum Iubilo.

Hi sunt veteres Coloni, nostri ordinis patroni, Quibus ille militat. Cum Iubilo.

Septa claustrum dissipamus, sacra vasa compilamus, sumptus inde suppeat. Cum Iubilo.

I Cuculla, vale Cappa, vale Prior, Custos, Abba, cum obedientia. Cum Iubilo.

Ite vota, preces, hora, vale timor cum pudore, vale conscientia. Cum Iubilo.

Io Io Io Io. Gaudeamus cum iubilo Dulces Lutheriaci. Cum Iubilo.

Et

Et in alio Carmine.

*Vos etiã scurra, Lurcones & Parasiti,
Quos male delectant populi ieiunia
Christi,*

*Vos quoq; Lenones, periuri, sacrilegiq;
Virginitas quibus est flocci, votumq; sa-
crumq;.*

*Deniq; Thrasones, linguaces Ardeliones,
Quique diu accisi Christumque Fidem-
que negastis.*

*Impuri, quorũ deprauat lingua sodales,
Perfida, & in sensum reprobum, quos cri-
mina ducunt.*

*Tu quoque sex vulgi, cui sunt nunc dura
supernæ*

*Frena potestatis, iuga quæ furibunda
resoluis.*

*Cuncti Legifragi celebrate Hymenæa
magistri,*

*Cuius vos faciunt votis documẽta potiri.
Tu noua nupta tuo velũ depone marito.*

*Rumpe pudicitia zonam votumque si-
 demque,
 Tam bene, quàm Christo vestrum sacra-
 uit uterq.
 Conspurate torum, mentemque & cor-
 pora vestra
 Sacrilego incestu: per vos generabitur illo
 Pernicies mudi, certissimus Antichristus.*

Hec pius Emserus, in quem multi iuvenes
 Poëta Vuitbergéses iam pridem frustra con-
 spiraverant. In mortem enim vsque constanti-
 sine viri ille piam patrum religioné contra eos
 defendit. Eo item tempore multos Colonia li-
 bros euulgantia sines Egregius ciuis, Typo-
 graphus Colonienus, Petrus Quentel, Quos
 summo Theologi, eruditione iuxta ac inte-
 gritate celeberrimi, Ioannes Fischerus. Episco-
 pus Rossensis in Anglia, & Iudocus Chlichto-
 uicus. Doctor Parisiësis in Gallia in Lutherum
 grauisime pariter & solidissime scripserant at-
 que etiam ediderant. At Lutherus cuncta eorū
 scripta dissimulans, neutri eorum vllò vnquam
 verò respondit, eò quod solidior sit eorum do-
 ctina, quam vt sophisticis Lutheri fucis labef-
 facti queat: & eorum vita lōge probatior bo-
 nisq; omnibus notior & cōmendatior, quàm
 vt

*Opuscula
 Rossensis &
 Chlichtouici
 Colonia excu-
 sa.*

vt vllis illius conuitiis aut calumniis denigrari
 aut suggillari possit sine lectoris offensa. Neq;
 vero respondit quicquàm ad grauem & erudi-
 tam licet breuem, orationem Andræ Critij,
 Episcopi Premisliensis in Polonia (qui postea
 Plocensis Episcopus, ac tandem Archiepisco-
 pus Gnesnensis factus est) ad Regem Poloniae
 Sigismundum habitam, atque in lucem æditã.
 Cuius hoc sane initium est. Qui res Ecclesiasti-
 cas memoriae prodiderunt, Maxime & Sapien-
 tissime Rex, innumeros hæreticos & Apostata-
 tas recensent: Qui sensu suo & spiritu super-
 biae transuersum acti, Ecclesiam Dei deuia &
 pertinaci doctrina scindere ac turbare consue-
 uerunt. Quorum môstrorum, cum semper Ro-
 mana Ecclesia domitrix, ceu claua Herculis, ex-
 titisset, in eam potissimum hæc Dæmoniorum
 zizania ferebantur, atque hi turbines, hi fluctus
 eam cum primis nauiculam obruere niteban-
 tur. Et infra. Inter tot autem ac tam varios, qui
 hæcenus fuerunt, hæreticos, nemo fuit, qui nõ
 ex Euangelio basim doctrinae suæ statuisset, nõ
 verbi Dei prætectum & illicem veneni sui ce-
 cisset. Sicut in præsens agit, nouum sui angu-
 lnumen, Lutherus. Quod ita humiliter, ita ca-
 ste, ita mansuete & pacifice, iuxta doctrinam
 Christi & Apostolorum tractat, vt nihil arro-
 gantius, nihil impudētius, nihil seditiosius ac
 virulentius dici vel excogitari possit: Vt qui ne-
 dum Reges carnifices, scurras & nebulones:
 Pontifices Antichristos, Lenones & Idola vo-

*Andreas
 Critius Polon-
 nus.*

*Quale Euan-
 gelium Luth.*

cet, sed & sanctos atque adeo ipsam Deiparan virginem, lingua facerrima, vt ex plerisque eius argumentis constat, vilipendit ac eleuat. Et in fine. Interim (inquit) Inuictissime Rex, quia tibi curæ esse intelligo, vt eam labem in vicinia Serpentem, à regno & dominiis tuis arceas: hæc præludia quoquo modo in præsens effudi, quæ dum alia nostra & aliorum adornantur, benigno animo suscipe, & quod facis, rem Christianam non solum à Turcis & Tartaris aliisque Ethnicis, sed etiam à Domesticis hostibus Apostatis & hæreticis tueare. Huic orationi, dum aderetur, varia multorum adiecta erant carmina Polonorum, & quidem ingeniosa & acris, Quorum primum erat, in imaginem Lutheri, Cuius initium sic habet.

Carmina Polonorum in Luth.

*Ille Lutherus ego, toto iam notus in orbe,
Cui vulgi improbitas nomina tanta dedit.
Quicquid enim dictum damnatumque
extitit ante,
Nunc renouans iactor spiritus esse Dei.
Conciliis, patribus, mori contraria scribo,
Actus & huc, consto non ego sæpe mihi.
Mystica scripta volo, cum res mea postulat, esse:
Nuda eadem, cum res exigit, esse volo.
Nil*

*Nil credens, seruansque nihil, Christi ef-
fero leges,
Prætextu quarum carpere cuncta li-
cet. &c.*

Deinde aliud carmen in conditiones Luthera-
norum.

*Dic male sacrificis, Superos contemne,
probat*

*Moribus obtrecta, ieiunia sacra precēsq;
Ride, Conciliis obsta, Patrumq; relictis
Ritibus illude, ac Venias, Anathemata,
Vota,*

*Non aſtis facias, abſit confeſſio culpæ.
Abſit religio, cedant delubra popinis.
Plus perſuade tibi de te, quã ſit deceatq;
Pötifices, Reges præ te ceu ſtercora pēdas.
Scripturãſq; ſacras, vt vis, ãtellige, priſcos
Doctores, leges, ſanctorũ & geſta negato.
Si bonus impoſtor, ſis ad cõuitia doctus.
Prefectos traduc populo, retinacula rüpe.
Ordinis & fidei, cieãſq; per oĩa turbas.
Sic age ſectator, qui vis probus eſſe Lu-*

thero. &c.

Et aliud item in monstrum Cucullatum
vacca.

Vacca cucullatum produxit Saxica factum,

Designans monstrum, terra quod illa fouet.

Saxe miser vigila, monstrumque hoc confice, semper

Exitium terris monstra tulere suis.

Et rursus aliud in eius conuitia.

Stercora cum præ se ducat quoscunque Lutherus,

Oreque spurciloquo nil nisi sterces habet,

N rogo, stercorem dices hunc esse prophetam?

Qualia verba uiri, talis & ipse vir est.

Ad hæc & id genus multa Polonorum carmina, mirum fuit silentiam Lutheranorum & Poëtarum Vuittembergensium, qui antea non solum respondere & talionem irritati reddere: sed sepe vltro incescere & petulanter prouocare solebant, forsitan exemplo infortunato deterriti.

Nam

Nam cum doctissimus eorum, Philippus Melancthon, antea respondisset Accusationi, quam Thomas Radinus Todesco Placētinus, vir eloquens ac Theologus, grauiissime simul & eruditissime in Lutherum ad Principes Germaniæ scripserat: Ille autem falso putasset à Hieronymo Emsero scriptam fuisse, à Radino illo ita repulsus est altera oratione, vt contra ne mutire quidē auderet. Misere enim fuerat suo de auctore iudicio deceptus, & statu causæ maxime prægrauatus, tacere maluit, quam dedecora sua dedecorosius in literas referre aut defendere. Lutherus, cum videret se ab exteris tam valide impeti, tot eruditis libris vrgeri, tot argumentis veris conuinci ac traduci: omnia eorum scripta serpentino astu dissimulans, ad ea, velut ad carmina sapienter incantantium, tanquã aspis surda, non modo aures suas obturauit, ne forte audiens illorum voces, & contradicere nesciens, victus videretur: Verum etiã linguam procacẽ stylumque petulantem ita cohibuit, vt illos aduersarios suos externos, vsque adeo acres & validos, ne nominare quidem vnquam ad populum ausus fuerit. Cũque premeretur graui apud Germanos quoque inuidia, propter tot seditiones eãdesque & calamitates, ex eius Euangelio nup̄r natas, statuit se nouo contra Clerũ libello Teuthonico egregie vindicare. Validissimo igitur furoris & iræ impetu insurgens, titulum libello dedit, De Abominatione Canonis Missæ. Deinde longum præmittens prologum,

P

Phil. Melancthon misere confutatus à Radino.

Silentium Lutheri adscripta Latina.

Liber Lut. contra Cato-nem Missæ.

sic orsus est. Ego multum ac sæpe iam prædica-
 ui & scripsi, de papisticis sceleratis Missis, quæ
 modo conandum sit, vt ab ea abominatione
 beraremur. At oportet nos à Dominis nostri
 Papistis audire, quod culpâ tribuunt nobis: con-
 querentes, nos intendere seditiones suscitare.
 Sed & hoc transeat, sine eos & istud in nos mi-
 tiri, bene plura quàm istud mentiti sunt. Cum
 enim ausint diuinam Maiestatem impudenter
 omni hora blasphemare, ac violare suis abomi-
 nabilibus Missis & Idolatriis, quid nocet, si nos
 pauperem hominẽ arguunt mendacii? & post
 pauca. Hæc toties prædicauimus & inculcaui-
 mus, vt unusquisque scire & inde concludere
 queat, omnia opera nostra, quæ intenduntur ad
 agenda pro peccatis pœnitentiã, mortemque
 effugiendam, esse blasphema, quæ Deum abne-
 gant, ac sacrificium Christi violant eiusque san-
 guinem. Quia id facere volunt, quod solum san-
 guinem Christi facere oportet. Hæc & id ge-
 nus multa impie ac seditiose scripsit in prologo
 Ceterum in libelli processu totum recitat Cano-
 nem Teuthonicè, eumque non solũ impie per-
 uertit, sed & scurriliter multis calumniis falsis
 que expositionibus, impietatis & blasphemæ
 accusat, vt mirari liceat, quomodo possit cor hu-
 manum, quod illis sacris à puero assuetum, at-
 que etiam vsu & actione sacra XV. annis imbu-
 tum, exercitatumque & mansuetum fuit, tā
 malignitate depruari, vt sciens volensque tā
 scurriliter in res sacratissimas & in maxime,
 tremeda

Scurrilitas
Luth. in Ca-
nonem
Missæ.

tremenda mysteria inuehi non vereatur, Verbi gratia, vt dicere sic aufit. Debemus ne Deo buccellam panis & vini offerre, vt acceptet, pro Christianitate? ac præterea dicere, esse factū & imaculatū sacrificiū nōne tantū dē est dicere vt Deo pane & vino placetur, quod tamē nihil ali-
 plius est, quam alius panis, quo vnusquisque ves-
 citur. Item. Tu ne pro iustis Christianis ores, cum sis ipse nebulo & blasphemator Dei? Et nihil agis amplius, quam quod buccellam simplici panis & vini offers. Si quis recte aperiret oculos, atque abominabilem Dei blasphemiam intueretur, quæ quotidie fit in toto mundo, cor certe dissiliret ei. Tātūdem enim est, ac si dicerent Deo, Tu mentiris in os, Nos opitulari oportet Christianitati pane & vino, & tu dicis, solum filii tui sanguinem id facere oportere. Hæc nos (inquit) ferre oportet, ac quotidie audire atque videre &c. Huic incredibili eius malitiæ, ac nunquam prius auditæ calumniæ, acriter atque intrepide respondit Teuthonice Hieronymus Emserus, inter aduersarios eius vicinitate loci illi proximus, Qui & antea eundem sacrum Canonem fortiter asseruerat, Latine quidem contra Vlticum Zuinglium Tigurinum in Heluetiis: Teuthonice vero, contra Duos Præpositos Nurenbergenses. Partitus est itaque respōsiōne suā in patres Duos. In quarū priore, seditiōnū autorem demonstrauit Lutherū, ex quā plurimis ipsi libris variisq; scriptis Et adeo clare ex ipsiusmet Luth. verbis ostēdit

*Quātūm hie
distat à Zuin-
glio Lutherus*

*Liber Emser
pro sacro Ca-
none Missæ
contra Luth.*

ac deduxit Emserus, vt haftenus nemo diluc
 attentauerit. In altera autem libelli parte, con
 tauit paucis omnes Lutheri calumnias, quas il
 in Canonem euomuit: Nam pluribus eundem
 antea defenderat contra Lutheri complices. Et
 enim audacia & impietatis progressi iam fue
 rant plarique, vt nihil magis quam Missam &
 coelestia religionis nostrae mysteria contem
 rent ac detestarentur. Ausus itaque fuit Ar
 gentinae quidam Praetoribus, Sapidus, Poeta pro
 fecto nimis insipidus, ac ferali sacrorum contem
 ptu impius, carmina ex meris conuitis & blas
 phemiis in Missae monumentum, velut in sepul
 turam & exequias eius, contexere. Quorum sa
 ne initium sic habet.

*Inspida &
 impia carmi
 na Sapidus co
 tra Missam.*

*Missam malum, peius quo saecula nulla
 tulerunt*

*Istud propudium, Dedecus exitium,
 Fel, odium, sacrilegium, monstrum, sce
 lus, vlcus.*

*Prostibulum, virus, excidium, barathrum,
 Spectrum, flagitium, tormentum, nauis
 ea, labes,*

*Quisquilia, tenebrae, carnificina, me
 tus.*

Naufragium

*Naufragium, latrocinium, vis, præda,
Tyrannis,
Clades, pæna, dolor, mors, furor, hor-
ror, onus.*

*Nequitia, insidia, impostura, infamia,
terreor,*

Illuuiæ, sanies, merda, cloaca, putor.

Larua, superstitio, impietas, iniuria, nullo

Missæ unquã inuiso nomine nota satis

*Nec cruce, nec ferro, nec peste, nec igne,
ec vnda:*

Sed sola Christi voce perempta iacer.

Hæc criminosa & impia Sapidæ carminæ, in lau-
dem & victoriã Missæ, conuertit vir Dotissi-
mus ac trium linguarum peritissimus Theolo-
gus ac Philosophus insignis, Arnoldus Befal-
ensis Colonia, In hunc sane modum.

*Missæ bonũ, melius quo sæcula nulla
tulerunt.*

*Carminapia
Arnoldi Be-
saliensis pro
Missæ.*

Missæ Decus populi, vita, medella, salus.

Fellis homo plenus, nebulo, peculator

& osor,

Et meretrix, Missam dilacerare solêt

Crimina Missa fuga, labē, tormēta repellit,

Quisquilias, tenebras disicit atq; metus.

Hanc latro insequitur, prædo fugit atque Tyrannus,

Clades, pæna, dolor, mors, furor, horror abest.

Absūt insidia, impostura, insania, terror.

Candor, mūdicies & decor omnis adest.

Relligio, pietas, veri custodia & æqui,

Missæ triumphanti nomine nota satis.

Quam crux, quàm ferrū, quā pestis & ignis & vnda,

Suspiciunt, Christo quo stabilita viget.

Quantum periculum Germaniæ contra Missam.

Circūfertur in super & Dialog^o quidā Teuthonic^o de ægritudine & obitu Missæ, quo nihil insulti^o nihil impudētius habet orbis. Quare hæc vna intremēda Missæ mysteria impietas Lutheranorū tā execrabilis merito & videtur & est, ut si tota Germania cœlesti ultione intereat funditus, reliquæ Nationes iustum Dei iudicium cū timore ac tremore, & agnoscere & collaudare possint. Iuxta illud Moyse Deut. 29. Et dicent omnes gentes, Quare sic fecit Dominus terræ huic? Quæ est hæc ira furoris eius immēsa? Et respōdebūt. Quia

Quia dereliquerunt pactum nomini, quod
 pepigit cum patribus eorum &c. Quod forsitan
 iam pridem contigisset, nisi superessent adhuc
 plurés in ea quam septem Milia, qui genua sua
 isti Baal Saxonico non flexerunt. Pro quibus
 Abraham orans, ac stans coram Domino ait.
 Nunquid perdes iustum cum impio? Cui respō
 deat (vt sperandum est) Dominus. Si inuenero
 Quinquaginta iustos in medio Germaniæ, di
 mittam omni loco propter eos, scilicet, vt supe
 rexalter misericordia iudicium. Lutherani vero,
 ad propagandam sectam suam callidi ac seduli,
 vbicunque sciebant ullos esse factioni suæ fauen
 tes, literis & nunciis accurate sollicitabant ac sa
 tangebant, vt iacto fundamento ibi nidificarent:
 maxime vero in regionibus Aquilonis. Quippe
 vno eodemque tempore Vuitenbergæ & scrip
 serunt & per Typographos adiderunt tres epi
 stolas, in Liouoniam destinandas. Martinus Lu
 therus, Ioannes Pomeranus, & Melchior Hof
 mannus, & quidem Germanice, non solum ad
 confortandos Liuones: Verum etiam ad gloriā
 dum apud Germanos de latitudine sectæ suæ,
 & tamen tertius ex iis postea contra Pomerā
 num disputauit in Flensburg, Carolstadianam
 sectam amplexus. Pomeranus autem Latinam
 quoque scripsit epistolam ad Sanctos (vthabet
 titulus) qui sunt in Angliis. Cui Colonia respon
 dit Ioannes Cochläus. & Lutherus itidem Lati
 ne scripsit ad Ducē Sabaudia Carolū Principē
 sane Catholicum ac multo in literis eruditionē
 quam vt à Luthero tam facile subuerit aut se-

3. Reg. 19.

Gen. 18.

Iac. 2.

Epistola Lu
 theri & Po
 merani ad Li
 uones.

*Epistola Lu-
theri ad Duce
Sabaudie.*

duci, queat, Satis tamen astute, secundum more
serpentis antiqui, ad captandam beneuolenti-
ait veterator. In primis veniam ab tua Clem-
tia peto, Illustris. Princeps, quod ego ex homi-
num, neque iussus neque vocatus, ad tuam Celsi-
tudinem audeo scribere prior. Facit id gloria
Euangelii Christi, in qua & ego glorior & gau-
deo ubi illam video & audio clarere au-
surgere, Dabit igitur tua Celsitudo id Euange-
lii causæ, quod præ gaudio tuam Dominationem
Illustrissimâ saluto prior. Peruenit enim ad nos
fama, eamque confirmavit Annemundus Co-
ctus, Eques auratus Gallus, incredibiliter feruens
in gloriam Euangelii: Esse scilicet Ducem Sa-
baudiæ syncere pietatis vehementer studiosum
rarissimo certe iter Principes dono Dei &c. Sed
usque adeo nihil effecit astu illo adulatorio Lu-
therus, ut eo nihil foret miserius, si in illius Prin-
cipis manus veniret, cum sit nouis iisce sectis in-
fensissimus. Et simili astutia scripsit ad Antuer-
pienses quoque Epistolam, & alteram item ad
Christianos, qui sunt in Hollandia, Brabantia-
que & Flandria ut saltem Saxones credant, Lu-
therum Euangelio suo totum pene mundum re-
pleisse latius etiam, quam S. Paulus repleuit, qui
ait se ab Hierusalem usque in Illyricum repleisse
Euangelium, Satis autem constat Lutheri Eu-
angelio, nusquam publice patere locum,
in cunctis iam dictis prouinciis, nisi quantum
furtiue, ac raptim fit per audaces Apostata-
tas in angulis. Et tamen Lutherus callide,
dissimulans

*Epistola Lu-
theri ad Br-
bandinos &
ad Hollandos*

disſimulans, Euangelium ſuum ibi publice interdicitum & proſcriptum eſſe ſcribit amplo & generali titulo, perinde ac ſi tota Hollandia Brabantiaque & Flandria ſuarum eſſent partium, cum nihil ſint minus.

Frater Cæſaris, Archidux Aſtriæ Ferdinandus, tanquam locum tenens Imperii, indixerat Imperialem Conuentum Auguſtę celebrandũ, ſub Feſtũ S. Martini. Quem cum, pauci ex Principibus per ſeſe comparuiſſent, cito diſſoluit, alium Conuētum Spiræ, in primum diem Maij indicens: Ea ſane ſpe propoſita Principibus, vt Cæſar ipſe illuc eo tempore venturus eſſet. Quãtum vero ad religionẽ attinet, præcepit, vt Concionatores, abſque ſcandalo & ſeditione interpretarentur Euangelium & ſcripturam, iuxta ſanum ſenſum approbatorum Eccleſiæ Doctõrũ. Deinde conſtituit, vt omnes Principes & Status, eſſent præparati armis & præſidijs, ſi quis nouus oriretur tumultus. Denique temperauit iuris rigorem circa ſeditioſos, ne ij, qui à ſuperioribus ſuis in gratiam recepti, propter ſeditionem, præteritam, in iudicijs pro infamibus habeantur

*Conſtitutiones
Ferdinãdi I
cũ tenentis
Cæſareæ Ma
ieſtatis.*

*Acta & ſcripta, Lutheri Anno Domini
M. D. XXVI.*

Lutherus, vbi vidit ſe contra Principes nec minis nec conuitijs, neque etiam excitationis tumultibus & ſeditionibus ita

*Aſtucia Lut.
in blanditijs
ad Principes.*